RHETORUM ANTIQUORUM DE FIGURIS DOCTRINA.

Pars prior.

Scripsit

Gustav Dzialas,

Dr. phil.

Vratislaviae 1869.

Typis Grassii, Barthii et Socii (W. Friedrich.)

Praefatio.

Quum ante hos decem fere annos me primum ad rhetorum antiquorum studium contulissem, multa esse intellexi, quae interpretatione accurata indigerent, neque adhuc quisquam exstitit, qui, quamquam critici atque ii acutissimi hoc sibi proposuerunt, ut libros mendis creberrimis liberarent, parti ἐξηγητικῇ maiorem dederit operam. Sane nunc iis qui ad hanc rem accedunt magno adiumento est Rich. Volkmanni Hermagoras (Stettini 1865) vel elementa rhetorices, sed ei, qui accuratius partem aliquam tractat tot occurrunt difficultates, quarum Vir. Ill., quum totam materiam amplexus sit, rationem habere non potuit, ut aegre se ex his expedire possit. Quae de Gerhardo Vossio et de J. Chr. Th. Ernestio praef. p. VI dicit, verissima sunt, neque me fugit eorum opera minime esse absoluta et vitiis libera, quum et ipse lexica technologiae rhetoricae retractare et corrigere in animo habuerim; sed quum hoc sit opus multi otii, quod non tam nobis ludi magistris publicis concessum esse quam doctoribus illis umbraticis nemo est qui nesciat, et multorum annorum, hac occasione scribendi lege quadam oblata, partem quae est de figuris lectoribus benevolis tradam, quos ut in libello iudicando frontem remittant ea qua par est reverentia rogo atque oro. Namque paucis modo adiumentis instructus et operibus aliorum huc pertinentibus, qualis est Kayseri commentarius ad Cornificium diligentissimus et utilissimus, rem aggressus sum.

In laudandis auctoribus usus sum Walzii editione rhetorum Graecorum, quod Spengel in margine numeros paginarum huius editionis addidit, et Halmii rhetoribus Latinis minoribus (Lipsiae 1863): neque quisquam mihi vitio vertet, quod fere omnes

locos, quibus figura aliqua commemoratur, laudavi et modo ineptissima quaeque omisi, quia semper mihi nova editio lexici technologiae ante oculos versabatur, ad quam perficiendam collectio locorum quam accuratissima opus esse mihi videtur. Ceterum lectores ad Rich. Volkmanni praefationem delego, quam, quoad ad meum opusculum referri potest, meam facio,*) ut non opus sit acta agere.

*) Excepto quod de Quintiliano dicit. Cf. L. Kaiser in annal. philol. 1866, XII, p. 837.

Difficilis est quaestio, quid intercedat inter tropos et figuras, et inter figuras verborum et sententiarum; sunt enim et tropi, qui a nonnullis auctoribus figuris, et figurae sententiarum, quae verborum, et verborum quae sententiarum adnumerentur, neque definitiones inter scriptores constant.

Atque recentiorum qui de hac re egerunt Volkmannus p. 268 sq. Quintilianum potissimum secutus videtur rectum vidisse; quod vero de ironia statuit ab eo dissenserim. Est igitur tropos verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio; Quint. VIII, 6, 1; vel: „Sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia, vel, ut plerique grammatici finiunt, dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est; figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione (eine von der gewöhnlichen und zunächst sich darbietenden Manier abweichende Gestaltung der Rede). Quint. IX, 1, 4. Et propriis verbis et ordine collocatis figura fieri potest. § 7. Item Cicero Brut. 17, 69: Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*. Greg. Cor. VIII, p. 763 *τρόπος ἐστὶ λέξεως φράσις ἐκ τῆς καθ' ἑαυτὴν ὁπωσοῦν ἰδιότητος* (e propria significatione) *μετατροπὴν εἰληφυῖα, διὸ καὶ τρόπος καλεῖται·* Cf. Tryph. VIII, p. 728. Cocondr. p. 782. Cic. or. 24, 80; d. or. III, 37, 148 sqq.

Ergo figura sit arte aliqua novata forma dicendi Quint. IX, 1, 14. Alex. VIII, p. 426 *σχῆμά ἐστιν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν ἢ κατὰ διάνοιαν ἄνευ τρόπου.* Cf. Phoeb. p. 493 sq. Tib. p. 527. Herod. p. 579. Cornificius solus IV, 31, 42. tropos a figuris non distinguit, quamquam definitio est tropi, sed restare decem exornationes verborum dicit, quas idcirco non vage dispersit, sed a superioribus separavit, quod omnes in uno genere sunt positae: nam earum omnium hoc proprium est, ut ab usitata verborum potestate recedatur atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur.

Itaque recte Volkmannus: Der Tropus hat es also mit dem einzelnen Worte zu thun, an dessen Stelle ein andres gesetzt wird, die Figur dagegen mit der innern Verbindung der Wörter unter einander, welche verändert wird, ohne dass die ursprüngliche Bedeutung der Wörter verändert würde. p. 269. Restat *εἰρωνεία*, quae et tropus et figura esse dicitur. At mihi tota Quintiliani disputatio IX, 2, 44 sq. persuadere non potuit, ut ei

assentiar; nam quae exempla h. l. et VIII, 6, 54. apposuit, ea sunt ut discrimen invenire non potuerim, atque quod dicit IX, 2, 46: „ut quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, sic hoc schema faciat troporum ille contextus," pergi velim hoc modo: quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, et manet tropus, sic quoque non opus est tropum illum contextum schema fieri, sed tropus manet; nam utut facis, in ironia semper verba non propria significatione, sed translata vel contraria usurpantur.

Figurarum autem duo sunt genera: λέξεως, id est verborum vel dictionis vel elocutionis vel sermonis vel orationis, et διανοίας, id est mentis vel sensus vel sententiarum. Quint. IX, 1, 17. Verum schemata λέξεως duorum sunt generum: alterum loquendi rationem vocant, alterum maxime collocatione exquisitum est. Quorum tametsi utrumque convenit orationi: tamen possis illud grammaticum hoc rhetoricum magis dicere. Quint IX, 3, 2. Fortunat. p. 126, 24 ed. Halm: Genera figurarum quot sunt? tria: λέξεως, λόγου, διανοίας.*) Sed grammaticum, vel ut grammatici ipsi dixerunt, μεταπλασμούς, nunc tractare non est in animo; itaque statim videamus, quo differant σχήματα λέξεως et διανοίας. Iam Ciceroni nota sunt ornamenta vel lumina (figuras nondum dicit) verborum sententiarumque. Or. 6, 21; 39, 135 sqq. In cap. 24, 80 ornatus verborum est duplex: unus simplicium (in quo etiam tropi et figurae grammaticae continentur), alter collocatorum (figurae verborum). Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat manente sententia. Et his opposuit sententiarum ornamenta, quae permanent, etiamsi verba mutaveris. Haec est distinctio, quae apud omnes fere auctores legitur, ut apud Aquilam Romanum p. 28, 31: Differt figura elocutionis a figura sententiae hoc, quod sententiae figura immutato verborum ordine vel translato manet nihilo minus, elocutionis autem, si distraxeris vel immutaveris vel ordinem eorum non servaveris, manere non poterit. Cf. Alex. Num. VIII, p. 424. Tiber. p. 550. Sed hoc discrimen non omnes videntur accepisse vel respexisse, quia saepe apud nonnullos auctores figurae inveniuntur verborum, in quas illud non quadrat; in quorum numero est Rutilius Lupus, de quo cf. dissertationem meam Vratisl. 1860, p. 33, et Cornificius, cuius liber in hac parte propter nimiam figurarum confusionem non integer esse mihi videtur. Quintilianus IX, 1, 15 non tam subtiliter distinguit, sed eandem videtur habere opinionem; nam. repudiatis iis qui omnes figuras aut in verbis aut in sensibus esse dicerent, scribit. § 16: Nam et eadem dici solent aliter atque aliter manetque sensus elocutione mutata: et figura sententiae plures habere verborum figuras potest. Illa est enim posita in concipienda cogitatione, haec in enuntianda, sed frequentissime coeunt. Magis mihi probatur, quod IX, 3, 88 dicit: „Quaedam verborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur, ut dubitatio. Nam quum est in re, priori parti assignanda est; cum in verbo, sequenti." Atque haec distinctio mea quidem sententia rectissima; non solum ordinem, sed etiam verba ipsa vel dictionem si mutaveris, figura verbi tollitur. Exemplo sit ἄφοδος, dubitatio, correctio Quint. IX, 3, 87.

---

*) De Cornelio Celso, qui nimia profecto novitatis cupiditate ductus adiecit figuras colorum cf. Quint. IX, 1 18.

Quum autem figurae verborum, quas Gorgias primus invenisse, sed iis esse usus intemperantius (Cic. Or. 52, 175) dicitur,*) sententiarum tempore praecedant, liceat mihi illas priore loco positas accuratius perlustrare.

De numero et usu schematum cf. quae dixit non spernenda Quintilianus IX, 1, 22; IX, 3, 100 sqq. et Cicero Or. 24, 81.

Restat quaestio difficillima, qua ratione figuras singulis quasi familiis subiungere possimus; nam plerique rhetores, definitione schematum vel praeposita vel non praeposita, haec sine ordine prout se forte obtulerunt, paucis quae cohaerere manifestum erat exceptis, enumeraverunt et explicaverunt. Fortunatianus quidem p. 127 ed. Halm dicit: opera figurarum sunt quinque: ut augeas, ut abicias, ut probus existimeris, ut imparatus, ut ornes elocutionem; sed quid his faciam in dubio sum, praesertim quum nonnullae figurae et unum et alterum efficere possint et ad unam omnes nulla alia de causa usurpentur, nisi ut ornent elocutionem. Unus Phoebammo VIII, p. 496 sq. omnes figuras et verborum et sententiarum in quaterna genera dividit: *πάντα τὰ σχήματα κατὰ δ' γίνονται τρόπους ἤτοι αἰτίας, κατὰ ἔνδειαν, κατὰ πλεονασμόν, κατὰ μετάθεσιν, κατὰ ἐναλλαγήν.* Sed hac ratione neque omnes figuras, ut *ἀντίθετον,* alicui generi speciali subiungere potuit et nonnullas figuras grammaticas apposuit, quae non sunt huius loci. Cf. Volkmann p. 270. Longe aliam viam in disponendis figuris ingressus est Gerhardus Ioannes Vossius in commentariis suis rhetoricis (edit. V. Marburgi Cattorum 1681) lib. V, cap. II, p. 266 sqq. praecedente I. Caesare Scaligero. (Poetices libri septem; ed. V. 1617.) Illo auctore figurantur verba ratione vel essentiae (i. e. quae secundum naturam suam figuram accipiunt) vel quantitatis vel qualitatis vel situs. „Quae secundum essentiam sive naturam suam figuram accipiunt (lib. V, c. II, § 1), vel subticentia figurantur, vel excessu, vel repetitione vocis eiusdem vel verborum similium usu.“ Inter schemata vocum similitudinis nativae vel secundum quantitatem variata sunt: *παρηγμένον* (cum voces coniunguntur, quarum una ab altera derivatur, quae figura in *παρονομασίαν* cadit), *πάρισον*, *ἓν διὰ δυοῖν*, *τμῆσις* et *σύνθεσις.* (Cap. IV.) Schematis quae figurantur secundum qualitatem adscribit *παρονομασίαν*, *ὁμοιόπτωτον*, *ὁμοιοτέλευτον*, *παρήχησιν* et *ἐρώτησιν;* quae secundum situm: *ὑπέρβατον*, *παρεμβολήν*, *παρένθεσιν*, *συνάντησιν* et *ζεῦγμα* (Cap. V). Quicunque autem vel obiter figuras veterum consideraverit, ei Vossium parum doctrinam respexisse veterum facile apparebit. Quae enim est figura verbi *τμῆσις?* Quam si in numerum figurarum verborum referimus, omnes quae dicuntur figurae grammaticae enumerentur necesse est. Itaque iis quae Volkmannus lib. l. praef. p. VI de toto hoc libro disputavit assentiens, ea de figurarum quoque doctrina dici posse contenderim, quamquam exempla, quibus figuras illustravit, ei qui hanc sibi doctrinam exponendam proposuerit, ex usu esse possunt.

Restat Quintilianus, cuius quasi vestigiis nos quoque, sicut Volkmannus fecit, quum melius quidquam non sit in promptu, insistere volumus. Is enim figuras verborum IX, 3, 28 dividit in eas quae fiant primum per adiectionem (§ 28 — 57) alterum per detractionem (§ 58 — 65) et tertium genus est, quod aut similitudine aliqua vocum aut

*) Dion. Hal. de Thucyd. iudic. 24; p. 869 ed. Reiske addit Polum, Licymnium et multos alios, qui eodem tempore floruerunt.

paribus aut contrariis convertit in se aures (§ 66 — 86). Tertium hoc genus in tres divisum est partes: primo efficiuntur figurae vocibus paribus (§ 66 — 74), deinde similibus (§ 75 — 80), denique contrariis (§ 81 — 86); quamquam enim res non plane dilucida est, haec tamen Quintiliani sententia fuisse videtur, quod omnia exempla, et ea quae inde a paragrapho 81 subiuncta sunt, similitudinis quandam speciem prae se ferunt et contrariis vocibus in se convertunt aures.

Volkmannus quinque videtur genera figurarum statuisse, quum apud eum, quae per detractionem fiunt, tertium genus sint, quartum παρονομασίας species, et quae fiunt verbis contrapositis voce „endlich" adiungantur. Sed in hac re sibi non constat; nam primum genus est figurarum Quintiliano auctore, quae fiunt per adiectionem, quam vocem vertit „Hinzufügung"; alterum quum numerum non addiderit, videtur esse; „Figuren, in denen gleiches oder ähnliches bedeutende Wörter gehäuft werden." Sed hanc cumulationem verborum esse adiectionem quam Quintilianus vult, facile intelligetur. Si Volkmannus utrumque genus discernere voluit, prius dicendum erat: figurae quae fiunt per repetitionem earundem vocum.

Videamus igitur, num omnes figuras verborum, quae apud auctores veteres enumerantur, secuti Quintiliani dispositionem, adhibito quarto, ut Phoebammo habet **μεταθέσεως** vel ut Vossius dicit situs genere, in ordinem quendam redigere possimus. Capitibus singulis praeponemus nomina Graeca, quae a locupletissimis auctoribus veteribus figuris singulis imposita sunt et quibus nostro quoque tempore utendum esse censeo.

Dilatis iam figuris grammaticis in alium locum, ordiamur a figuris verborum quae fiunt per adiectionem.

1. ἐπανάληψις.

Hoc enim nomine videtur appellata esse „eiusdem verbi aut sermonis iteratio," Quint. VIII, 3, 50, qui scribit, hoc schema, cum a prudentibus fiat, **ταυτολογίαν** dici solere, sed, quamquam non magnopere summis auctoribus sit vitata, interim vitium videri posse. Interim mutato nomine ἐπανάληψις dicitur, atque est et ipsum inter schemata. Verba geminantur vel amplificandi vel miserandi gratia, Quint. IX, 3, 28; vel ut Hermog. III, p. 412 dicit: *ἐπανάληψις γίνεται κατὰ τρόπους τρεῖς· ἐπὶ πράγματος διδασκαλίᾳ* (ut res magis enucleetur), *ἐπὶ προσώπου συστάσει ἢ διαβολῇ ἵνα κοσμήσῃ ἢ διαβάλῃ τὸ πρόσωπον, ἐπὶ ἤθους βεβαιώσει* (ad rem magis affirmandam). Alii aliud huic figurae nomen imposuerunt, ut difficile sit se ex tanta mole expedire, praesertim quum loci nonnulli huc spectantes nondum ad liquidum perducti sint.*) Alexander Numenius duobus locis hoc genus figurae tractat, priore inter figuras sententiarum, VIII, p. 444; altero inter figuras verborum, p. 463; nomine ἐπαναλήψεως praeposito, sed quod inter utramque discrimen intercedat, nemini non potest esse dubium. Possit fortasse quis putare priore loco significari repetitionem plurium verborum, *ὅταν κατὰ πλείους φωνὰς ἐπαναλαμβάνωμεν*, altero modo unius,

*) Cf. Bernh. Steusloff dissert. de Alexandro Numenio Vratisl. 1861, p. 41, qui quod in eo, quod p. 44 promisit, quantum equidem scio, non steterit eo magis dolendum est, quod fortasse confusioni quae est apud Alexandrum, aliquid lucis intulisset.

sed huic opinioni obstat exemplum alterum ex Homero sumptum, in quo idem verbum paucis verbis interiectis repetitur:

ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
Αἰθίοπας,

ut huic distinctioni nullam vim tribuere possimus; quae eadem confusio cadit in figuram, de qua mox agemus, ἐπαναφοράν. Neque alii hoc discrimen fecerunt; Quint. IX, 3, 43 huic generi figurarum etiam eas attribuit, quae fiunt, quum sententia eodem repetitur verborum ordine. — Eodem Alexandro auctore hanc figuram Caecilius Calactinus dixit παλιλλογίαν, alii ἀναδίπλωσιν. Nonnulli alio nomine dicunt figuram ῥῆμα ἐπαλλήλως ἐντιθέντων ἡμῶν (Alex. Num. VIII, p. 463) vel μηδένος μεταξὺ τιθεμένου μορίου (p. 445), alio repetitionem verbi post aliquam interiectionem (Quint. IX, 3, 99) vel μεταξὺ τεθέντων τινῶν (Phoebammo VIII, p. 499). Phoebammo illud genus ἐπίζευξιν vocat, hoc ἀναδίπλωσιν, et ἐπανάληψις ei est ἀνάμνησις προειρημένου τινὸς μεταξυλογίας ἐμβεβλημένης. Ἀναδιπλώσεως exemplum esse potest versus quem supra laudavi Homericus, ἐπαναλήψεως hoc addidit ipse, si quis dicit: ὁ στρατηγὸς ηὔξησε τὰ πράγματα; deinde in parenthesi exponit, πῶς ηὔξησεν, et tum pergit: αὐξήσαντος οὖν τούτου τὰ πράγματα τόδε γεγονε. Jul. Rufinianus p. 50, 12 primum genus dicit ἀναδίπλωσιν, duplicationem, alterum p. 49, 13 ἐπανάληψιν, resumptionem vel repetitionem; Demetrius περὶ ἑρμηνείας 267 (IX, p. 110 ed. Walz) ἀναδίπλωσιν, διλογηθὲν τὸ ὄνομα δεινότητα (virtutem, vim dicendi) ποιεῖ. Nugas poetae anonymi, qui discernit inter ἐπίζευξιν et ἐπανάληψιν, nullo discrimine intercedente, commemorare non est operae pretium. Aquila Romanus, p. 31, 12; quem sequitur Mart. Capella, p. 481, 10 sq. παλιλογίαν, iterationem dicit repetitionem eiusdem verbi aut nominis; et inter hanc et ἐπανάληψιν id intercedere, quod in illa quidem una pars orationis bis repetitur, tum coniunctim, tum interposito uno aut altero verbo, quo vehementior elocutio videtur fieri: at in hac ex plurium verborum continnatione repetita idem quaeritur; p. 31, 32 sqq. Is igitur etiam in exemplis discrimen, quod Alexander Numenius statuisse videtur, observavit et retinuit.

Plerique tamen uno nomine omnium generum geminationem appellant, ut Tiberius VIII, p. 554; et Rutilius Lupus 1, 11; ἐπαναλήψεως, Herodianus VIII, p. 603 ἐπιζεύξεως, et p. 598 ἐπαναφορᾶς, eodem exemplo ad utramque illustrandam usus, ut vitium inesse videatur; Scholiastes ad Aristoph. nub. 266 ἐπαναδιπλώσεως. — Herennius IV, 28, 38 conduplicationem vocat cum ratione amplificationis aut commiserationis eiusdem unius aut plurium verborum iterationem.*) Cicero denique pluribus locis huius schematis mentionem facit et plura genera videtur statuisse. Orat. 39, 135 ἐπανάληψιν habet: „quum aut duplicantur iteranturque verba,“ et aliud genus, quod cum Pideritio ad h. l. ἐπίζευξιν dicere possis, „quum adiungitur idem verbum iteratum,“ i. e. quum verbum iteratum statim subiungitur. De orat. III, 53, 203 iteratio, ἐπανάληψις est figura sententiae et 54, 206 geminatio verborum, quae habet interdum vim, leporem alias, nihil aliud esse potest; et adiunctio ἐπίζ[illegible] illa, quam plane perperam interpretatus est Piderit,

*) Kayser in annotatione ad hunc locum errat, quod contendit Quintilianum vocare hanc figuram adiectionem, pluraque genera eius esse dicere, immo omne id genus figurarum fieri per adiectionem dicit, et hanc repetitionem verborum geminationem videtur vocasse. Cf. IX, 3, 28.

atque mirandum est, quod in editione tertia hunc errorem non correxit, quoniam rectum iam vidit in editione Oratoris.

Longe aliter definit ἐπανάληψιν Demetrius περὶ ἑρμηνείας 196 (IX, p. 87): ἔστιν συνδεσμοῦ ἐπιφορὰ (fortasse ἐπαναφορά = repetitio) τοῦ αὐτοῦ ἐν τοῖς διὰ μακροῦ ἐπιφερομένοις λόγοις. Ut hic locus paulo obscurior melius intelligatur, totum exemplum adscribam: ὅσα μὲν ἔπραξε Φίλιππος, καὶ ὡς τὴν Θρᾴκην κατεστρέψατο, καὶ Χερρόνησον εἷλε, καὶ Βυζάντιον ἐπολιόρκησε καὶ Ἀμφίπολιν οὐκ ἀπέδωκε, ταῦτα μὲν παραλείψω· σχεδὸν γὰρ ὁ μὲν σύνδεσμος ἐπενεχθεὶς ἀνέμνησεν ἡμᾶς τῆς προθέσεως καὶ ἀποκατέστησεν ἐπὶ τὴν ἀρχήν. Sed hac unius sententia nihil probatur, atque in eo acquiescendum puto, ἐπανάληψιν esse unius vel plurium verborum post verba interposita vel non interposita iterationem, neque est cur cum Volkmanno accipiamus potius plurium verborum repetitionem.

2. ἀναφορά vel ἐπαναφορά,

quum ab iisdem verbis plura acriter et instanter incipiunt. Quint. IX, 3, 30 Hermogenes III, p. 284 duo habet ἀναφορᾶς genera: αἱ κατὰ κῶλον ἐπαναφοραὶ καλλωπίζουσιν, αἱ κατὰ κόμμα γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον, ἀλλ' οὐ καλόν,*) exemplo addito prioris generis: μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον, μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας; alterius: προσιὼν μὲν τῇ βουλῇ, προσιὼν δὲ τῷ δήμῳ. Eum secuti sunt Alex. Numenius VIII, p. 463 usus priore, Tiberius p. 558 eodem exemplo addito sed corrupto et omissa definitione; Aquila Romanus p. 32, 23 relatum vertens, Mart. Capella p. 481, 26, Quintilianus quoque IX, 3, 32, hoc genus ἀναφορᾶς habet: Etiam in contrapositis vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio. Apud Jul. Rufin. p. 49, 26 est iteratio; in carmine auctoris incerti v. 34 et apud Cornificium IV, 13, 19 repetitio; apud Ciceronem de Or. III, 54, 206: eiusdem verbi crebra a primo repetitio, et commemoratur Or. 135: ab eodem verbo ducitur saepius oratio. Cf. Phoeb. VIII, p. 499; Zon. p. 682; Anon. p. 639; Demetr. περὶ ἑρμην. 268. Unus Rut. Lupus I, 7 hanc figuram vocat ἐπιβολήν,**) sed hoc nobis saepius occurret, quod is in appellandis figuris alios atque ceteri auctores secutus est, quorum opera aetatem nostram non tulerunt, aut quod ipse sibi nomina finxit, quae postea non evaluerunt.

3. ἀντιστροφή.

Quint. IX, 3, 30: plura in iisdem verbis desinunt; ἀντιστροφήν nominant Hermog. III, p. 285; Alex. Numen. VIII, p. 464; Phoeb. p. 516;***) Tiber. p. 560; Zon. p. 682;

---

*) De κώλῳ et κόμματι v. infra.

**) Non spernenda coniectura ad definitionem figurae a Kaysero in editione Cornificii p. 287 videtur facta, cuius nullam rationem habuit Halmius.

***) Plane alio sensu est apud eundem p. 505: χαρακτήρων ἀντίδοσις τῶν συντεταγμένων ἀλλήλοις ἐν τῷ λόγῳ λέξεων, ἠχῶν ἔπεσα ἀντὶ τοῦ πεσὼν ἤχησα. Est igitur figura grammatica.

Aquila Roman. p. 33, 11; conversum, Mart. Capella p. 481, 29 conversio. Conversionem Cornificius quoque vocat, IV, 13, 19; in extremum conversionem Cicero de Orat. III, 54, 207; memoratur a Cicerone Orat. 39, 135 in idem verbum coniicitur oratio; *ἐπιστροφὴν*, reversionem dicit Jul. Rufinianus p. 52, 11, nisi forte hic quoque scribendum est *ἀντιστροφή; ἐπιφοράν* Rutil. Lupus I, 8, et Poeta anon., v. 37 desitionem explicans.

4. *συμπλοκή*

est ea figura, quae complectitur *ἐπαναφοράν* et *ἀντιστροφήν*, „ut et repetatur idem verbum saepius et crebro ad idem postremum revertamur,“ ut explicat Cornificius IV, 14, 20, complexionem vertens. Cicero huius figurae mentionem facit de Orat. III, 54, 206; in eadem verba impetus et concursio, et Orat. 39, 135: aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio aut in idem coniicitur aut utrumque, Rutilius Lupus I, 9 *κοινότητα* appellat, quia „duorum superiorum schematum coniunctionem habet;“ quam auctor anonymus carminis de figuris v. 40 interpretatus est communionem, Martianus Capella p. 482, 4 connexionem, Aquila Romanus p. 33, 17 connexum. *Συμπλοκὴν* praeterea dicunt Alex. Numen. VIII. p. 465 *ἢ σύνθεσιν* addens, Zonaeus p. 682. Exemplum est apud Quintilianum IX, 3, 30: Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius; et apud Alex. Numenium: *ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς, ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς.*

5. *κύκλος*

γίνεται, ὅταν ἀφ' οὗ ἄρξηταί τις ὀνόματος ἢ ῥήματος, εἰς τὸ αὐτὸ καταλήξῃ πάλιν μήτε πτῶσιν ἐναλλάξας μήτε σχῆμα μήτε χρόνον μήτε ἀριθμὸν μήτε ἄλλο τι, οἷον σοὶ μὲν γὰρ ἦν κλέπτης ὁ πατήρ, εἴπερ ἦν ὅμοιός σοι. Hermog. III, p. 170. Jul. Rufin. p. 50, 19 *ἐπαναδίπλωσιν*, inclusionem vocat, cum idem verbum in eadem sententia et primum est et extremum, ut est in Aeneide III, 435:

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum.

Sed secundum alia exempla quae addidit, potest etiam alius casus poni, ut Georg. III, 47:

Caesaris et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.

Apud Aquil. Romanum p. 32, 16 est *προσαπόδοσις*, redditio,*) et Mart. Capellam p. 481, 23 redditio orationis. Quintilianus IX, 3, 34 eam significat his verbis: Respondent primis et ultima: Multi et graves dolores inventi parentibus et propinquis multi. Paulo alio sensu est Quintiliani IX, 3, 41 *πλοκή*, figurarum mixtura, in qua et primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum et media primis et mediis ultima congruunt, exemplo Ciceronis apposito: Vestrum iam hic factum deprehenditur, Patres conscripti, non meum; ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi, non meum sed vestrum.

---

*) Gesneri emendatio erit retinenda: Glaucia? Haec? Halmii abiicienda, nam ea tollitur figura.

(Cf. Volkmann Hermag. p. 281. Qualem alii *πλοκὴν* acceperint, vide infra 8.) **Isidorus** Hispal. p. 518, 25 *ἀνταπόδοσιν* dicit, quotiens media primis et ultimis conveniunt, exemplo Quintiliani adscripto. Aliud genus huius figurae Quintiliano IX, 3, 43, videtur: quum sensus toti, quemadmodum coeperunt, iisdem sed pluribus verbis desinunt: Venit ex Asia. Hoc ipsum quam novum? Tribunus plebis venit ex Asia.

6. *ἐπαναστροφή*

dicitur figura ab Hermogene III, p. 286, quae *γίνεται, ὅταν τὸ τέλος τοῦ κώλου ἑτέρου κώλου τις (τὴν?) ἀρχὴν ποιήσηται*; apud Anonymum VIII, p. 641 (cf. dissert. meam p. 10) et Tiberium p. 552 est *ἀναστροφή*. Jul. Rufinianus p. 50, 1 *παλιλογίαν*, regressionem dicit, addito exemplo quo Quintilianus IX, 3, 44 usus est: Prioris sententiae verbum ultimum ac sequentis primum frequenter est idem, quo quidem schemate utuntur poetae saepius (Virg. Eclog. 10, 72):

Pierides, vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

Ἀναδίπλωσις, reduplicatio est Aquilae Roman. p. 32, 6, et Mart. Cap. p. 481, 18; apud Alex. Numenium VIII, p. 446 est inter figuras sententiarum; revocatio verbi Cic. de Orat. III, 54, 206. Sed fere omnes adiiciunt, quod Quintilianus, hoc schemate potissimum uti poetas.

7. *ἐπάνοδος*,

regressio est Quintiliano IX, 3, 35, „illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et dividit“:

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi.

(Virg. Aen. II, 435.) Jul. Rufin. p. 53, 12 fere eadem definitione (cum duobus brevius pluribusve propositis ad singularum enarrationem recurritur) eodemque exemplo utitur, qui modo alterum addit nomen Latinum: reversionem; repetitionem vertit auctor quidam Halmii anonymus p. 76, 20. Similiter Alex. Numen. VIII, p. 465: *ἐπάνοδός ἐστιν, ὅταν δύο ὀνόματα διάφορα προτιθέντες μήπω τοῦ νοῦ πέρας ἔχοντος, ἐπανίωμεν ἐπὶ τὰ προκείμενα καὶ τὸ λεῖπον τῷ νῷ προσαποδιδῶμεν*, et Phoebam. p. 499, ubi Spengel fortasse perperam scripsit *ἐπανάδοσις* pro *ἐπάνοδος* et Tiber. p. 573. Caecilio auctore *γίνεται, ὅταν ὀνόματα δύο καὶ ῥῆμα**) *προθέντες ἐπανίωμεν ἐπ' αὐτὰ καὶ ἐξηγώμεθα αὐτά, ὡς μήπω νοουμένου τοῦ λεχθέντος*. Zonaeus p. 682. Quae sequuntur apud Quintilianum IX, 3, 36 verba: „Nec solum in eodem sensu sed etiam in diverso eadem verba contra: Principum dignitas erat paene par, non par fortasse eorum, qui sequebantur“ Isidorum Hispalensem in errorem induxerunt, hoc esse alterum Quintiliani regressionis exemplum, vel verba ante-

*) Fortasse scribendum *καὶ πράγματα*. Cf. Gregor. Corinth. VII, p. 1187 ad Hermogenem *περὶ μεθόδου δεινότητος*, cui hic locus videtur ante oculos esse versatus, quum idem exemplum apposuerit.

cedentia huc pertinere, quum definitionem appellationi praemiserit, nam ille ἐπανόδῳ subiungit exemplum: Principum dignitas et q. s., sed hoc est alius cuiusdam generis repetitionis.

8. πλοκή vel (ἀντ)ανάκλασις.

Scriptores veteres, Rutilio excepto, modo unum alterumve nomen habent figurae, in qua idem verbum aut nomen bis continuo positum diversa significat. Aqu. Roman. p. 31, 7 πλοκή, copulatio, ut est illud: Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Mart. Cap. p. 481, 8. Phoeb. VIII, p. 500, qui genus παρονομασίας esse πλοκὴν dicit: θέσις τῆς αὐτῆς λέξεως ἐπ' ἄλλου καὶ ἄλλου σημαινομένου καὶ ἐναλλαγὴν τοῦ νοῦ. Alex. Num. p. 480 tria habet nomina: ἀντιμετάθεσιν ἢ σύγκρισιν ἢ πλοκήν. Ciceronis de Orat. III, 54, 206 est eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio et Orat. 39, 135: cum continenter unum verbum non eadem sententia ponitur. Apud Quintilianum IX, 3, 68 genus παρονομασίας est ἀντανάκλασις, eiusdem verbi contraria significatio: Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset, se vero non exspectare: Immo, inquit, rogo exspectes.*) Isidor. p. 518, 31. Unus Rutilius utramque figuram habet, ἀνάκλασιν I, 5, cum exemplo Quintiliani: schema fieri solet, quum id, quod ab altero dictum est, non in eam mentem qua intelligitur, sed in aliam aut contrariam accipitur; et διαφοράν, I, 12: quum verbum iteratum aliam sententiam significat, ac significavit primo dictum. Videtur igitur inter has figuras id discriminis intercedere, quod ad illam duabus personis opus est, ad hanc non opus est; nisi forte Ruhnkenii opinio recta est, exemplum ad I, 5 esse subditicium. Fortasse exemplis nisus Gerh. Vossius in institutione oratoria lib. V, p. 271 et p. 274 ita distinguit; Si eadem vox sit, sed significatio diversa, ἀντανάκλασις dicitur; et: Sane πλοκή eius (ἀντανακλάσεως sc.) species censeri debet: ut qua vox repetita nunc personam vel quasi personam significet, nunc mores aliamve qualitatem. Sed mea quidem sententia πλοκή vel ἀντανάκλασις nomen est unius et eiusdem figurae, si verbum denuo positum diversa significat, sive duabus personis opus est, sive una, sive rem, sive personam et mores spectamus.

Apud Quintilianum IX, 3, 32 — 34 praeterea paucae sunt repetitionis figurae, ut: „Possunt media quoque respondere vel primis, vel ultimis," quas nemo alius auctor commemorat, et quibus facile carere possumus, praesertim quum ne nomina quidem propria habere videantur, quare lectores ad auctorem ipsum delegamus.

9. πολύπτωτον

est, quod in multis casibus ponitur; Cic. de Orat. III, 54, 207, cum eiusdem nominis casus saepius commutantur, Orat. 39, 135. Quint. IX, 3, 36: variatur casibus et generibus retra-

---

*) Locum non esse sanum contendit Spalding in editione sua. Cf. Ruhnken ad Rutil. Lup. I, 5. Volkmannus p. 284 Rutilii hunc locum neglexit.

ctatio; Rutil. Lup. 1, 10: Hoc schema solet complures sententias, alio atque alio modo („casu" probabiliter coniecit Maehly) ut pronuntientur, efferre. Aquila Roman. p. 33, 23 vertit ex multis casibus; Poeta anonymus v. 106 multiclinatum. Fortunat. p. 126, 27; Martian. Cap. p. 482, 7; Beda Venerab. p. 610, 36. Apud Cornificium IV, 22, 30 est genus annominationis, quod versatur in casuum commutatione aut unius aut plurium verborum, neque alia est figura, quam IV, 14, 20 traductionem vocat, quae facit, uti, cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat. Hermogenes eam figuram commemorat III, p. 288: *κάλλους ἴδιον τὸ πολύπτωτον καλούμενον σχῆμα, εἰ κατὰ κῶλον ἐκφέροιτο.* (Anon. III, p. 711; VIII, 646.) Alex. Numen. VIII, p. 473: *ὅταν ἢ τὰς ἀντωνυμίας ἢ τὰ ὀνόματα ταῖς πλείοσι πτώσεσι καὶ πάσας μεταλαμβάνοντες πλέκωμεν τὸν λόγον.* Cf. Herodian. VIII, p. 598; Zonaeum p. 686; Trypho. *περὶ ὕψους* c. 23.

Aliud genus *πολυπτώτου* fortasse est, quod dicitur apud Quintilianum IX, 3, 42, eo discrimine intercedente, quod hic verbum mutatur, illic nomen: (Fit) in iisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum: ut apud Persium (I, 27):

— Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

10. *μεταβολή*

optime definitur a Tiberio VIII, p. 566: *ὅταν μὴ τὰς πτώσεις μόνον ἀλλὰ καὶ τὰ ῥήματα μεταβάλλῃ*, et a Cassiodoro in psalmos: iteratio unius rei sub varietate verborum. Cf. Spalding. ad Quintilian. IX, 3, 38. Quintilianus, postquam *πολύπτωτον*, quod schema modo casibus fiat, tractavit, addit: Constant et aliis etiam modis: ut pro Cluentio (c. 60): „Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? Per quem porro datum? unde sumptum? quae porro interceptio poculi? cur non de integro autem datum?" Hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius *μεταβολήν* vocat. Plane similis est figura, quam alios *συνωνυμίαν*, alios disiunctionem vocare Quintilianus IX, 3, 45 dicit, quum, sicut in geminatione verborum dixit, initia quoque et clausulae sententiarum aliis sed non alio tendentibus verbis inter se consonant. Initia hoc modo: Dediderim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim invidiae. Rursus clausulae: Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis. Utrumque, etiamsi est diversum, recte; nam est nominum idem significantium separatio. Cf. Alex. Numen. VIII, 474; v. 169; Zonaeum VIII, p. 686; Poet. anon. v. 169; Anon. poet. VIII, p. 709 et quae statim subsequentur.

Quintilianus IX, 3, 38 sq., quum aliud exemplum *μεταβολῆς* ex Ciceronis oratione pro Cluentio attulerit, pergit: Ut haec in unum congeruntur: ita contra illa dispersa sunt, quae a Cicerone (Orat. 65, 220; 70, 233; 71, 235;) dissipata dici puto: (Virgil. Georg. I, 54.)

Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei fetus alibi,

et deinceps. Sed haec figura nusquam praeterea invenitur, ac ne Cicero quidem ipse schema esse voluit, itaque nos quoque figuris abiudicamus.

11. *πλεονασμὸς* vel *συνωνυμία.*

Quamquam *πλεονασμὸς* etiam vitium est, cum supervacuis verbis oratio oneratur (Quint. VIII, 3, 53), vel abundans super necessitatem oratio (IX, 3, 46), tamen mihi, praecedente Caecilio (Quint. l. l.) hoc nomen imponendum esse videtur figurae, quae fit, quum congregantur verba idem significantia (exempli gratia: abiit, excessit, erupit, evasit, Quint. l. l.); quam quidem Dionysius Halicarn. de admirab. vi dicendi in Demosthene p. 1128 (ed. Reiske) virtutem Demosthenis praedicavit, *ὅτι καὶ τῆς σαφηνείος δεῖ στοχάζεσθαι τὸν ῥήτορα, καὶ τῆς ἐνεργείας, καὶ τῆς αὐξήσεως καὶ τῆς περὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων εὐρυθμίας· ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα τοῦ παθητικήν τε καὶ ἠθικὴν καὶ ἐναγώνιον ποιεῖν τὴν λέξιν· ἐν οἷς ἐστιν ἡ πλείστη τοῦ πιθανοῦ μοῖρα. τούτων δὲ τῶν ἀρετῶν ἑκάστην οὐχ ἡ βραχυλογία κράτιστα δύναται ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ὁ πλεονασμὸς ἐνίων ὀνομάτων, ᾧ καὶ ὁ Δημοσθένης κέχρηται.* Quum praeterea eam Tiberius VIII, p. 563 praeeunte Apsine eodem nomine appellaverit, non est cur eorum auctorum exemplum non sequamur. Quibus rationibus Volkmannus Hermag. p. 282 adductus sit, ut hanc congeriem verborum velit esse figuram *συναθροισμοῦ* vel *ἐξεργασίας*, mihi non liquet; nam *συναθροισμὸς* plane alia, *ἐξεργασία* nulla est figura (cf. Ernesti lex. techn. Graec. s. h. v.); neque ullum est discrimen, utrum modo singula verba, an singulae sententiae idem significantia ponantur. Cf. Apsin. ap. Tiber. VIII, p. 564. Aliis, ut Alexandro Numenio VIII, p. 469, est *πλεονασμός, ὅταν ᾖ τῷ λόγῳ προσκείμενον μόριον ἐκ τοῦ περιττοῦ κόσμου χάριν ἢ ἐμφάσεως, οὗ ἀφαιρεθέντος οὐδὲν ἡ διάνοια βλάπτεται*; item Zon. VIII, p. 683; in quorum exemplis particula *δὴ* supervacua est. Fere simile est apud Aquilam Roman. p. 36, 25. Mart. Cap. p. 483, 2; et Poet. anon. v. 178. Alii *συνωνυμίαν* figuram illam dixerunt, sicut Alex. Numen. VIII, p. 465; Caecilius ap. Tiber. p. 563; neque aliud est schema, si exemplum spectamus, quod est apud Tiberium ipsum p. 560 *ἐπιμονή*, sed rectius fortasse erat, sicut Alex. Num. p. 440 fecit, *ἐπιμονὴν* figuris sententiarum attribuere: si quis in una re ad eam magis illustrandam moratur. Cf. Hermog. III, p. 266. Item Aquila Rom. p. 34, 3 *συνωνυμίαν* dixit, qui distinguit a *ταυτολογίᾳ* p. 34, 7 „quae differt perexiguo a superiore figura. Ibi enim singulae partes ex ordine idem significantes ponuntur: hic unius nominis aut verbi prius positi vis deinceps pluribus verbis explicatur, ut si dicas: Senatus populi Romani summum consilium, a quo ordine iura exterae nationes petunt. Hic enim unum nomen senatus prosecutionem accipit ex pluribus verbis non aliud significantibus. Qui enim summum consilium dicit et eum ordinem, a quo exterae nationes iura petunt, nihil aliud quam senatum dicit.“ Phoebammoni omnes figurae, quae fiunt aliqua duplicatione verborum vel sensuum, sunt *πλεονασμοῦ*, p. 498; et haec, de qua modo dixi, est *ταυτολογία;* praeterea habet *ἐπιμονὴν* p. 501, *προφορὰν πλειόνων λέξεων ἐπίσης* (fere?) *τὸ αὐτὸ σημαινουσῶν, ἢ καὶ λόγων.* Exemplum est: *ὁ θεὸς ἡμᾶς ἐρρύσατο ἀπὸ συμπλοκῆς, ἀπὸ μάχης, ἀπὸ τραυμάτων, ἀπὸ αἱμάτων.* Denique Cornificius IV, 28, 38 interpretationem vocat figuram, quae non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valet, hoc modo: rempublicam radicitus evertisti, civitatem funditus deiecisti.

12. διαλλαγή

apud unum Quintilianum IX, 3, 48 est figura, quae fit, quum congeruntur verba et idem et diversum significantia: Quaero ab inimicis, sintne haec investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, exstincta per me?

13. συναθροισμός

ἐστιν συναγωγὴ τῶν πεπραγμένων ἢ πραχθῆναι δυναμένων εἰς ἓν κεφάλαιον, Alex. Numen. VIII, p. 439; Zon. p. 682; Poet. anon. v. 139 conductio vel congregatio. Quintilianus VIII, 4, 27 plurium rerum congeriem *συναθροισμὸν* vocari dicit, sed in figuris ab eo tractatis non invenitur nisi forte cum Ernestio (Lexic. technol. Lat. s. v. congeries) et Kaysero p. 303 accipere volumus significari hoc schema IX, 2, 103: consummatio, quam Rutilius *διαμάχην* (al. *διαλλαγὴν*) vocat, quum plura argumenta ad unum effectum deducuntur. Ac sane haec definitio in hanc figuram quadrat. Eadem apud Aristotelem Rhetor. III, 19, 4 fortasse est *ἀνάμνησις;* apud Theon. I, p. 181 et Apsin. IX, p. 547 *ἀνακεφαλαίωσις,* apud Cornificium IV, 40, 52 figura sententiae frequentatio, quum res tota causa dispersae coguntur in unum, quo gravior aut acrior aut criminosior oratio sit. (Cf. Kayser ad h. l.) Aliam exempla accuratius consideranti mihi Rutil. Lupus I, 2, videtur figuram statuisse, ita ut omnes res, quae enumeratae sunt, postremo uno complectamur verbo: Multa simul eum revocabant: officia, consuetudo, tempus, existimatio, periculum, religio: quae singula proprias ei cogitationes ad remorandum subiiciebant.

14. πολυσύνδετον

efficitur, quum sententiae multorum articulorum convenienti copia continentur; Rut. Lup. 1, 14; est oratio multis nexa coniunctionibus, Beda p. 611, 10; Poet. anon. v. 52; Quint. IX, 3, 50, schema, quod coniunctionibus abundat. Possit sane mirum fortasse videri, quod haec figura a Graecis nisi ab Hermogene III, p. 415 non commemoratur, sed coniunctiones a Graecis, quibus multo maior copia harum particularum quam aliis populis est, tam crebro libenterque etiam in oratione non eleganti et pedestri usurpabantur, ut iis singularis ornatus esse non videretur.

15. ἀσύνδετον vel διάλυσις

dissolutio a Quintiliano IX, 3, 50 vocatur figura, quia coniunctionibus caret. Rut. Lup. I, 15; Cornif. IV, 30, 41, dissolutum; et Cic. de Orat. III, 54, 207; Orat. 39, 135 quum demptis coniunctionibus dissolute plura dicuntur; Aquila Roman. p. 35, 9 *ἀσύνδετον,* solutum; Jul. Rufinian. p. 52, 30, *ἀσύνδετον* vel *διάλυτον;* Poet. anon. v. 55, *διαλελυμένον,* abiunctum; Fortunatian. p. 126, 13; Mart. Cap. p. 482, 19; Beda p. 611, 14; Hermog. III,

415; Alex. Numen. VIII, p. 469; Phoeb. p. 498; Tiber. p. 568; Herodian. p. 607; Zon. p. 688; Anon. p. 711. (Pertinet sane haec figura ad eas, quae fiunt per detractionem, de quibus mox loquemur, sed quod cum superiore cohaeret, hoc loco collocari solet.)

16. *κλῖμαξ,*

gradatio Quint. IX, 3, 55; repetit, quae dicta sunt, et priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit; vel ut Alex. Numen. VIII, p. 467 definit: *γίνεται ὅταν ἐπὶ πλεῖον μηκύνοντες τὸ προκείμενον κεφάλαιον καθ' ἕκαστον κόμμα τὴν αὐτὴν λέξιν τελευτήν τε καὶ ἀρχὴν ποιήσωμεν, ὡς ἔχει τὸ Δημοσθενικόν· καὶ οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδὲ ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐκ ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους.* Apud Hermogenem III, p. 286 dicitur *κλιμακωτὸν σχῆμα* et idem exemplum appositum est. Cf. Tiber. VIII, p. 557, qui addit nonnullos huic figurae falso nomen *ἀναδιπλώσεως* dedisse. Zon. VIII, p. 683; Herodian. p. 603; Anonym. p. 642; et p. 708. Aquila Roman. p. 34, 17 ascensum vocat, quam figuram alii eo auctore scalam et gradiculos dixerunt; Jul. Rufinian. p. 52, 24 gradatum; Martian. Cap. p. 482, 15 ascensum; Isidor. Hispal. p. 517, 24 et Cornific. IV, 25, 34 gradationem, „in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius conscensum est;" commemoratur a Cicerone de Orat. III, 54, 207 gradatio; Orat. 39, 135 quum gradatim sursum versum reditur. Unus Rutilius Lupus appellat I, 13 *ἐπιπλοκήν*: „In hoc ex prima sententia secunda oritur, ex secunda tertia, atque ita deinceps complures." Quae addit: „Nam quemadmodum catena multi inter se circuli [coniuncti] vinciuntur, sic huius schematis utilitate complures sententiae inter se connexae continentur,"*) videtur esse excusatio quaedam, cur a vulgari figurae appellatione recesserit.

Iam sequuntur apud Quintilianum figurae, quae fiunt per detractionem, IX, 3, 58 sqq., brevitatis novitatisque maxime gratiam petentes, quae non sunt ita multae, et praeterea nonnullae potius sunt generis grammatici quam rhetorici; qualis est statim prima, quam Quintilianus „in figuras ex *συνεκδοχῇ* distulit, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, ut Caecilius in Antonium: *Stupere gaudio Graecus.* Simul enim auditur *coepit.*" Lib. VIII, 6, 21 dicit: „Quidam *συνεκδοχὴν* vocant et, cum id in contextu sermonis, quod tacetur, accipimus; verbum enim ex verbis intelligi, quod inter vitia ellipsis vocatur. Mihi hanc figuram esse magis placet." Quo nomine hanc figuram appellari velit non dicit, et error est Volkmanni Hermagor. p. 261, Quintilianum se in libro proximo, quo figuras tractaturus sit, acturum de ellipsi esse pollicitum; nam Quintiliano ellipsis videtur vitium esse, cum verbum subtractum aliquod non satis ex ceteris intelligitur. Item errat Kayser in edit. Cornific. p. 297, qui *συνεκδοχὴν* nominatam esse a Quintiliano h. l. Cornificii praecisionem; plane eandem figuram tractat Quintilianus in schematis sententiarum IX, 2, 54 et appellat *ἀποσιώπησιν,* Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem. Jul. Scaliger poetic. p. 312 (edit. V.) verbi suppressionem dicit ellipsin, defectum totius rei *ἀποσιώπησιν,***) veluti Aeneae concubitus

---

*) Ex coniectura Jacob. Simonis; Philol. XXVII, 4 p. 642 sqq.

**) Gerhardi Vossii disputatio de aposiopesi non satis perspicua et dilucida est.

cum Elisa non refertur. In definitione ἐλλείψεως sequitur auctores locupletes Graecos, ἀποσιωπήσεως dissentit.

17. ἔλλειψις,

omissa ab Ernestio, est Phoebammoni VIII, p. 498 παράλειψις λέξεως νοουμένης ἐκ τῆς συμφράσεως. Cf. Alex. Numen. VIII, p. 470; Tiber. p. 570; Zon. p. 683. Aquil. Roman. p. 37, 6, qui interpretatur detractionem; Poet. anon. v. 175 defectionem. Inter tropos refertur ab Anonymo VIII, p. 721; Cocondrio p. 796; Georg. Choerobosco p. 813. In plerisque exemplis additis subintelligendum est: ἐστί. Grammatica est figura Anonym. VIII, p. 663; tropus grammaticus Tryphoni p. 745; γίνεται κατ' ἀρχήν, κατὰ μέσον, κατὰ τέλος, οἷον ἀφαίρεσις, συγκοπή καὶ ἀποκοπή. (εἴβειν pro λείβειν, μώνυχας pro μονώνυχας, δῶ pro δῶμα). Ἀποσιώπησιν, ut auctores veteres, excepto Cornificio IV, 30, 41, fecerunt, in figuris sententiarum tractabimus.

De figura ἀσυνδέτου, cui coniunctiones eximuntur, modo dictum est.

18. συνεζευγμένον,

a grammaticis vulgo ζεῦγμα dictum, num figura sit, Quintilianus dubitat. Συνεξευγμένον, IX, 3, 62 ait, „in qua unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur. Id accidit aut praeposito verbo, ad quod reliqua respiciant: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia;* aut illato, quo plura cluduntur: *Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocaverit.* Medium quoque potest esse, quod et prioribus et sequentibus sufficiat. Iungit autem et diversos sexus, ut cum marem feminamque filios dicimus, et singularia pluralibus miscet. Sed haec adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint." Modo unum genus huius figurae statuit, qua diversa sermonis forma coniungitur, i. e. qua diversae constructiones grammaticae pendent ab uno verbo: (Aeneid. III, 234.)

Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Ζεῦγμα dicunt figuram illam grammaticam, cum verbum ponitur aut primum aut ultimum, quamquam nos quoque, quoniam illud saepius accidit, tum demum de ζεύγματι dicere solemus, quum unum verbum cum duobus substantivis coniungitur, cum quorum altero vulgo non coniungitur, ut Sallustianum illud: bellum et pacem agere. Cf. Alex. Numen. VIII, p. 474; Poet. anon. v. 166, qui nexum vertit; Zon. p. 686 ἐπεζευγμένον; Anon. Spengel. I, p. 437, et Aquil. Roman. p. 36, 14; (nam qua causa motus Halm scripserit ὑπεζευγμένον, mihi non liquet, praesertim cum Rufinianus ὑπόζευξιν appellet figuram aliam, de qua mox dicemus). Jul. Rufinian. p. 48, 21 ζεῦγμα interpretatur ligationem vel adnexionem; Phoebamm. p. 498 ἀπὸ κοινοῦ. Tiberius p. 566 ἀπὸ κοινοῦ dicit σχῆμα, in quo ex verbo quodam posito (συγγνώμην ἔχω) subintelligendus est in altera enuntiatione infinitivus (συγγνώμην ἔχειν), Cornificius IV, 27, 38 vocat adiunctionem, quum verbum

aut primum aut postremum collocamus, et discernit a coniunctione, quum interpositione verbi et superiores partes orationis comprehenduntur et inferiores, hoc modo: formae dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate. Apud Ciceronem non invenitur; erat enim Piderit de Orat. III, 54, 206, adiunctionem esse ζεῦγμα contendens, quem errorem, quum ipse videatur sensisse in editione Oratoris 39, 135 ad vocem „adiungitur," in editione tamen tertia librorum de Oratore nondum correxit.

19. διεζευγμένον

disiunctum, Aquil. Roman. p. 36, 3; disiunctio Cornific. IV, 27, 37 est figura, „quum eorum, de quibus dicimus, aut utrumque aut unum quidque certo concluditur verbo," (quam, sicut supra ἀσύνδετον πολυσυνδέτῳ subiunximus, hoc loco posuimus, quamquam fit per adiectionem, quod cum antecedenti figura cohaeret), „sic: populus Romanus Numantiam delevit, Karthaginem sustulit, Corinthum disiecit, Fregellas evertit." Jul. Rufin. p. 49, 1: ὑπόζευξις, subiunctio, subinsertio, subnexio; Tiber. VIII, p. 565: συζυγία. Fortasse est haec figura Ciceronis diiunctio, de Orat. III, 54, 207; cf. Piderit ad h. l. Nam quod Kayser ad Cornificium p. 295 extr. dicit significari hanc Cornificii figuram apud Ciceronem de Orat. III, 54, 207 verbis „quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula," locum Quintiliani IX, 3, 83 neglexit, qui definitioni Ciceronis addit exemplum, in quo in duobus κώλοις terna verba sibi respondent: Quam (sc. legem) non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.

Quae sequuntur apud Quintilianum figurae: συνοικείωσις et παραδιαστολή, eas, quia sunt tertii generis, in proximam partem differam.

„Tertium est genus figurarum, quod aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures et excitat. Hinc est

20. παρονομασία,

quae dicitur annominatio, Quintil. IX, 3, 66; „quae aut addenda aut demenda aut mutanda aut porrigenda aut contrahenda litera aut syllaba fieri consuevit." Rutil. Lup. I, 3. Eadem fere definitione utuntur Alex. Numen. VIII, p. 477; Phoebamm. p. 500; Tiber. p. 556; Zonaeus p. 686, ὃ καὶ παρήχησις ὀνομάζεται; Aquila Roman. p. 30, 32, qui addit novum genus: Non indecore interim et prioris verbi postremitas similitudine posterioris excipitur, ut se habet: Legem flagitasti, quae tibi non deerat; erat enim diligentissime scripta. Hoc apud Hermogenem III, p. 286 genus est ἐπαναστροφῆς. Idem III, p. 326 vocat παρονομασίαν, ὅταν κυρίῳ τινὶ ὀνόματι ἢ ῥήματι χρησάμενοι εἶτ' εὐθὺς ἑπόμενοι τούτῳ χρησώμεθα, καὶ ἐφ' οὗ μὴ κύριόν ἐστι πράγματος; itaque fere idem, quod πλοκή, de qua cf. supra.*) Jul. Rufin. p. 51, 23; Poet. anon. v. 109. Rectius mea quidem sententia

---

*) In Volkmanni Hermagora p. 284 corrigendus est error: Hermog. π. ἰδ. 367 pro 326; nam in praefatione se editione Spengeliana usum esse dixit, sed locos illos laudatos e Kaysero descripsit, cui tum editio Walziana tantum praesto erat.

Quintilianus et Cornificius IV, 21, 29 de hac re senserunt, qui latioribus finibus *παρονομασίαν* circumscribunt, ita ut etiam alias figuras, quas ceteri separatim tractant, huic toti generi, quod in similitudine soni constat, attribuant. Itaque non mirum est, quod Quintilianus *πολύπτωτον* et *ἐπανάληψιν* (cum verbo idem verbum plus significanter subiungitur, Quintil. IX, 3, 67) et *πλοκήν*, de quibus iam supra diximus, huius quoque generis esse figuras statuit, et Cornificius schema, in quo voces aut productione aut correptione mutatae ponuntur, et traductioni (idem verbum crebrius positum non modo non offendit animum, sed etiam concinniorem reddit orationem) et annominationi apposuit. Cf. Cornific. IV, 14, 21; et 21, 29.*) Idem IV, 22, 30, quod ex exemplis apparet, nam definitiones aut absunt aut obscuriores sunt, *ὁμοιοτέλευτον* et *ὁμοιόπτωτον*, quamquam separatim tractat, genus *παρονομασίας* videtur facere. Quintilianus § 69 sane „hoc (quod voces aut eadem diversa in significatione ponuntur aut productione tantum vel correptione mutatae) etiam in iocis frigidum tradi inter praecepta“ miratur eorumque exempla vitandi potius quam imitandi gratia posuit, sed non defuerunt, qui hac exornatione utebantur. Sic Cornificio auctore IV, 21, 29 sqq. annominatio conficitur: attenuatione et complexione eiusdem literae (venīt pro veniit et venĭt, vel vincīt et vincĭt), productione (ăvium — āvium), brevitate (cūriam — Cúriam), addendis litteris (temperare — obtemperare), demendis (lenones — leones), transferendis (vano — navo), commutandis (deligere — diligere); et fere eadem sunt Quintiliani; uterque vero his figurarum generibus non crebro esse utendum censet, ne puerili elocutione videamur delectari. Cornif. IV, 22, 32. A Cicerone commemoratur de Orat. II, 65, 256.

21. *πάρισον* vel *παρίσωσις*

Quintil. IX, 3, 75: „Quotiens verbum verbo simile aut non dissimile valde quaeritur aut certe par et extremis syllabis consonans,“ nihil aliud est nisi *παρήχησις* Hermogenis, III, p. 169; atque mea quidem sententia Quintilianus non recte fecit, quod inter *παρονομασίαν* et *πάρισον* hoc intercedere discrimen contendit. Nimis obiter Rutilius Lupus II, 12 de hac re agit, qui appellat *παρόμοιον*, et deinde pergit: Hoc schema et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distant. Tamen quid intersit, et ex unius cuiusque supposita sententia cognoscere poteris et multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus unius cuiusque ratio redditur. Sed hoc paromoeon verborum efficit similitudinem; et deinde exemplum addit, cuius verba extrema etiam sunt apud Quintilianum: Non verbis, sed armis. Magis mihi placet sententia scriptoris illius nondum noti, cuius nomen iam multos Quintiliani (IX, 3, 76) criticos magnopere vexavit, Cleostelei, qui „*πάρισον* existimat, quod sit e membris non dissimilibus; et idem censet Aquila Romanus p. 30 12, qui vertit: prope aequatum; et Alexand. Numenius VIII, p. 484: *ὅταν δύο ἢ πλείονα κῶλα συνενωθέντα μάλιστα μὲν καὶ τὰς συλλαβὰς ἴσας ἔχῃ, ἀλλά γε καὶ τὸν ἀριθμὸν τὸν ἴσον ἐν πᾶσι λαμβάνῃ·* deinde eodem exemplo, quo in *ὁμοιοτελεύτῳ* usus est,

*) Hinc corrigenda est Kayseri annotatio ad Cornificium p. 288; qua alterum genus traductionis idem esse vult ac ceterorum *πλοκήν* vel *διαφοράν*. Hermogeni III, p. 169 est *παρήχησις κάλλος ὁμοίων ὀνομάτων ἐν διαφόρῳ γνώσει ταὐτὸν ἠχούντων.*

apposito, pergit: *εἰ δὲ τὸ παράδειγμα τοῦτο καὶ ὁμοιοτέλευτόν ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει· πολλοὶ γὰρ λόγοι καὶ ἐκ δύο καὶ ἐκ πλειόνων σχημάτων σύγκεινται.* Zon. VIII, p. 687. Cornific. IV, 20, 27: Compar appellatur, quod habet in se membra orationis, quae constant ex pari fere numero syllabarum. Cicero vero de Orat. III, 54, 206 fortasse idem censet, quod Quintilianus, quum in figuris enumeravit: quae sunt inter se similia.

22. *ἰσόκωλον*

aut duabus aut pluribus sententiis brevibus et inter se paribus exigitur. Rutil. Lup. II, 15; exaequatum membris; Aquil. Roman. p. 30, 12; „differt autem a superiore, quod hic membrorum verba paria sunt numero, ibi uno vel altero addito aut in superiore membro aut in postremo pariter excurrunt.“ Sed verba extrema Aquilam non scripsisse velim, quia sic confusio quaedam cum *ὁμοιοτελεύτῳ* conficitur. Cic. de Orat. III, 54, 206: quae paria paribus referuntur; Quintil. IX, 3, 80: membris aequalibus. Sane quidem veteres in definienda hac figura non consentiunt, sed appellationem spectantibus rectissimum videbitur dicere: *ἰσόκωλον* fieri, quum membrorum (i. e. *κώλων*) verba sunt paria numero; quamquam non est necesse nos facere cum Anonymo illo, VIII, p. 640; qui figuras ex Hermogene excerpsit, dicente: *τοῦτο δὲ γίνεται, ὅταν ἐξ ἴσων συλλαβῶν κῶλα γίνηται ἐννέα συλλαβῶν.* Anaximenes c. 27 et Aristoteles rhetor. III, 9 hanc figuram *παρίσωσιν* nominant (*ὅταν ἴσα τὰ κῶλα λέγηται*). Hermogenes III, p. 281 longiore expositione varia genera *παρισώσεως* tractat, quae inveniuntur apud Demosthenem, quem *τὸν ῥήτορα κατ' ἐξοχὴν* oppositum Isocrati dicit; cf. p. 281, 6 et 12. Demosthenes igitur *οὐ μὴν ταῖς γε παρισώσεσι αὐταῖς σπανίως, ἀλλὰ χρῆται αὐταῖς μετρίως, μετὰ μέντοι τινὸς παραμυθίας· ἤτοι γὰρ διακόπτων αὐτὰς ἐξ ἐπεμβολῆς τινος καταμίγνυσι τῷ λόγῳ, ἢ ἐναλλάττων τὰς συλλαβὰς τὰς κατὰ τέλος παρισούσας τὰ κῶλα, ἢ ταῖς κατὰ κῶλον ὅλως παρισώσεσιν,* i. e. *κόμμασι* sibi respondentibus aliam sententiam inserit, vitat *ὁμοιοτέλευτον* excepto uno exemplo p. 281, quod frequentatissimum est apud Isocratem, *κόμματα* pari syllabarum numero constant; cf. Anon. VIII, p. 640. Sub finem huius capitis p. 284 addit: *γίνονται δὲ αἱ παρισώσεις καὶ κατ' ἀρχὰς καὶ κατὰ τὸ τέλος, οἷον προσήκει προθύμως*, quod est *παρονομασίας*, alterum genus *ὁμοιοτελεύτου.* Tiberius VIII, p. 561 cum Hermogene consentit, sed apud eum praeter *ὁμοιοτέλευτον* etiam *ὁμοιόπτωτον,* quas figuras alii separatim tractant, modo genus est *παρισώσεως.* Anonymo VIII, p. 663 figura *ἰσοκώλου* consistit in collocatione verborum sibi respondente: *φράσις δύο ἢ καὶ πλειόνων κώλων ἀπηκριβωμένων ἀλλήλοις πρὸς ἀντιστρόφον ἐμφέρειαν, οἷον·* (Il. *H*, 93)

αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

23. *ὁμοιοτέλευτον.*

Quintil. IX, 3, 77: ut clausula similiter cadat, syllabis in ultimam partem collatis. Aquil. Roman. p. 30, 27: simile determinatione; Poet. anon. v. 100: confine, ubi definitionis rationem habens scribi velim iras pro iram. Alex. Numen. VIII, p. 475; Zon.

p. 687; Tiber. p. 562; Cornific. IV, 20, 28: similiter desinens; Cic. Orat. 39, 135: quum verba similiter desinunt; de Orat. III, 54, 206.

24. *ὁμοιόπτωτον*,

quod in eosdem casus cadit; Quintil. IX, 3, 78; Aquil. Roman. p. 30, 25: simile casibus, qui quo differant hae duae figurae, recte monet: Differt autem a superiore, quod hoc quidem et casu et sono simili verba membrorum determinat: illud vero non solum casuum similitudine, sed cuiuscumque verbi atque enuntiationis contentum est. Poet. anon. v. 103: Aequeclinatum; Alex. Numen. VIII, p. 476; Tiber. p. 562; Zon. p. 688. Plane displicet Rutilii Lupi definitio II, 13 et 14: *ὁμοιόπτωτον* in duobus verbis eundem habet casum aut eandem novissimam syllabam, et *ὁμοιοτέλευτον* minus evidens est quam superius, et minorem affert auribus iucunditatem. Nam neque tam paria duo verba sunt, neque eundem habent casum et sonum vocis, quam Graeci prosodiam appellant. Qua igitur in re figura *ὁμοιοτελεύτου* constet, nemini non dubium est. Cornific. IV, 20, 28: similiter cadens. Cic. Orat. 39, 135: verba similiter cadunt; de Orat. III, 54, 206. Utramque figuram, *ὁμοιοτέλευτον* et *ὁμοιόπτωτον* nomine *παρισώσεως* quoque complectuntur Aristoteles Rhetor. III, 9 et Anaximenes c. 28; Cicero vero, ut Kayser p. 292 et Volkmannus p. 285 volunt, has figuras non complectitur, sed semper inter similiter cadens et desinens distinguit.

Liceat hoc loco, quoniam toties iam de *κόμματι* locuti sumus, commemorare esse nonnullos atque auctores locupletissimos, qui *κόμμα, κῶλον, περίοδον* figuris attribuant, ut Hermog. III, p. 150 sqq.; Cornific. IV, 19, 26; Alex. Numen. VIII, p. 460 et praeterea Aquil. Roman. p. 28, 19, qui dicit posse haec aliquem figuris elocutionis adnumerare.

Articulus autem *(κόμμα)* Cornificio auctore dicitur, quum singula verba intervallis distinguuntur caesa oratione, vel, ut Aquila Romanus l. l. dicit, caesum est pars orationis, nondum ex duobus aut ex pluribus verbis quicquam absolute significans. Nonnunquam tamen caesam dicimus orationem, quotiens non efficiuntur membra, ex connexione verborum, sed singula quodvis significantia proferuntur, i. e. quum oratio consistit ex parvulis enuntiatis. Quintilianus IX, 4, 122 vocat incisum; erit sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens. Cornific. l. l. membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur. Itaque Cornificio soli sensus *κόμματι* non conficitur, conficitur *κώλῳ*; apud ceteros iam *κόμμα* potest sensum absolutum habere; Alexander Numenius III, p. 461 dicit, quamquam *κόμμα ἐστὶν τό περιόδου καὶ κῶλου ἔλαττον, λαμβάνεται καὶ κόμμα καθ' αὑτό, καθάπερ ἔχει τὰ τοιαῦτα· γνῶθι σαυτόν, μέτρον ἄριστον, ἕπου θεῷ.* Cf. Aristid. *τέχν. ῥητορικ.* IX, p. 403. Hermogenes vero nimis subtiliter rem aggreditur, vel, ut Seneca Epist. 129, 8 dicit, cacumen radicis loco ponere videtur, quum p. 158 scribit: *διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τοῖς μέτροις· τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τεττάρων καὶ πέντε συλλαβῶν καὶ μέχρι τῶν ἓξ κόμμα ἐστὶν ἐπῳδῷ μετρούμενον, τὸ δὲ ὑπὲρ τὰς ἑπτὰ καὶ ὀκτὼ καὶ δέκα καὶ ἐγγίζον ἤδη τῷ τριμέτρῳ καὶ μέχρι τοῦ ἡρωϊκοῦ προχωροῦν κῶλον γίνεται ὀρθὸν καὶ τεταμένον.* Ex *κόμμασι* igitur et *κώλοις* existit *περίοδος*, ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circumscriptio; cf. Quintil.

IX, 4, 122, quae nomina Cicero dat. Cornific. l. l.: continuatio est densa frequentatio verborum cum absolutione sententiarum. Habet minimum membra duo. Medius numerus videntur quatuor, sed recipit frequenter et plura. Sed quum sine his nullum enuntiatum, nulla oratio cogitari possit, neque fortasse cuiquam Aquila Romanus et alii scriptores, ut aliter sentiat, persuadere possint, haec ex figurarum numero removeri velim, nam ita nihil non esset figura, atque cum Quintiliano facio, qui haec pertinere ad compositionem recte statuit. Cf. Cic. Orat. 61, 204 sqq.

Sequitur tertia pars huius generis figurarum, quae vocibus contrariis convertit in se aures et excitat.

25. ἀντίθετον, ἀντίθεσις,

contrapositum vel contentio, Quintil. IX, 3, 81 non uno fit modo, nam et si*) singula singulis opponuntur et bina binis et sententiae sententiis. Apud Cornificium IV, 15, 21 contentio est, quum ex contrariis rebus oratio conficitur; neque est, cur ei concedamus aliam esse figuram contrarium, IV, 18, 25; quod ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmat; nam si est *ἐνθύμημα*, ut Kayser p. 290 vult, cum Quintiliano IX, 3, 90 figuram esse negante facimus. Anaxim. c. 26: *ἀντίθετόν ἐστι τὸ ἐναντίαν τὴν ὀνομασίαν ἅμα καὶ τὴν δύναμιν τοῖς ἀντικειμένοις ἔχον, ἢ τὸ ἕτερον τούτων*, i. e. sensus aut verba sibi contraria esse possunt aut alterutrum. Rutilius quoque Lupus II, 16 et Alex. Numenius VIII, p. 477 eadem fere ratione distinguunt. Hermogenes bis de *ἀντιθέτῳ* agit et Gregorio Corinthio interprete VII, p. 1254 sq. in libro *περὶ εὑρέσεως* (III, p. 147) est *σχῆμα λέξεως* (*ἓν πρὸς ἓν ἀντιτίθησι νόημα* Gregor. Corinth. l. l.), et *περὶ μεθόδου δεινότητος* p. 420 *σχῆμα διανοίας*. Praeterea autem eodem Gregorio auctore haec duo genera differunt, *ὅτι ἐκεῖνο μὲν τὸ μὴ γεγονὸς ὑποτίθησι, τοῦτο δὲ τὸ γεγονὸς εἰσάγει*. Exemplum enim priore loco hoc est: *ἐπειδὴ ἡμέρα ἐστί, δεῖ ποιῆσαι τόδε· εἰ μὲν γὰρ μὴ ἦν ἡμέρα, ἀλλὰ νύξ, ἴσως ἐχρῆν μὴ ποιεῖν· ἐπεὶ δέ ἐστιν ἡμέρα, ποιῆσαι προσήκει;* hoc loco illud, quo Alexander ad *ἐπαναφορὰν* explicandam utitur: *ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δὲ ἐφοίτων· ἐτέλεις, ἐγὼ δ' ἐτελούμην*. Sed haec distinctio nullius est momenti, licet Tiberius *ἀντίθετον* habeat *σχῆμα διανοίας* et *λέξεως*, p. 545 et 569; qui figuram sententiae, Aeschinis verbis (*τοῖς ἐπιβεβουλευμένοις καὶ κακοήθεσι τούτοις ἀντιθέτοις, περὶ παραπρεσβ.* § 4) permotus, dicit, si quis alterum vituperare veritus alterum laudibus effert, quod illius vitiis non est contaminatus, quod Demosthenes fecerat, qui quum Aeschini *παροινίαν* improbare vellet, *ἐξ ἀντιθέτου εἶπε τὸ τοῦ Σατύρου περὶ τὰς Ὀλυνθίας αἰχμαλώτους φιλάνθρωπον;* in definitione autem verbi non dissentit a Quintiliano et idem illud exemplum, quod et figurae sententiae esse potest, *ἐδίδασκες κτλ.* usurpat ad illustrandum *σχῆμα λέξεως*. Zon. VIII, p. 688. Rutilium quoque *ἀντίθετον* utrique generi attribuisse ex Quintil. IX, 2, 101 scimus; cf. dissert, meam p. 36. Cic. Orat. 39, 135: quum sunt contrariis relata contraria; Aquil. Roman. p. 29, 29 compositum ex contrariis; Jul. Rufin. p. 47, 16 a quo etiam *σύγκρισις* dicitur; Poet. anon. v. 22. Isidor. de rhetor. p. 518, 5. Non semper contrapositum subiungitur, „verum, sicut

*) Si fortasse delendum, praesertim quum sequatur: „singula.“ Idem etiam se coniecisse collega meus F. Meister mecum communicat.

Cicero (de Orat. III, 54, 207) dicit, de singulis rebus propositis [ductum] refertur ad singula." Cf. Quintil. IX, 3, 83.

Quae a Quintiliano subiungitur species, quam § 65 et § 82 distinctionem dixit, eam nonnulli ἀντιθέτῳ attribuerunt, ut Cornificius, aliis autem haec figura est:

26. παραδιαστολή,

quia similia discernuntur; Quintil. IX, 3, 65; plures res aut duas, quae videntur unam vim habere, distinguit et quantum distent docet, suam cuique propriam sententiam subiungendo: „Nam cum ceterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris. Non enim probas te pro astuto sapientem intellegi, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem,*) pro malevolo severum. Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis." Hoc idem schema solet illustrius fieri, quum ratio proposito subiungitur. Rutil. Lup. I, 4. Num forte Cicero de Orat. III, 54, 207 verbis „in distributis supposita ratio" hanc figuram significari voluerit? Cf. Quintil. IX, 3, 93, qui locus adhuc interprete eget. Quod totum pendet ex finitione, ideoque an figura sit dubito, ait Quintilianus IX, 3, 65; et sane Cornificius IV, 25, 35, qui definitionem quoque figuram habet, exempla illis Rutilii plane convenientia apposuit; neque equidem παραδιαστολὴν figuris abiudicare dubitaverim. Idem cadit in

27. συνοικείωσιν,

quae duas res diversas colligit. Quintil. IX, 3, 64: Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet. Rutil. Lup. II, 9: Hoc schema docet diversas res coniungere et communi opinioni cum ratione adversari, et habet magnam vim vel ex laude vitium vel ex vitio laudem exprimendi. Praeter hos tantum apud Poet. anon. v. 142 invenitur.

28. ἀντιμεταβολή,

„figura, qua verba declinata repetuntur," pessima est definitio Quintiliani IX, 3, 85, quae a nullo ab ὁμοιοπτώτῳ discerni potest. Melius Cornificius IV, 28, 39: „Commutatio est, quum duae sententiae inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur, hoc modo: esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas.**) Ciceronis est conversio; de Orat. III, 54, 207; cf. Piderit ad h. l. Alex. Numen. VIII, p. 480 adiecit hanc figuram πλοκῇ· γίνεται δέ, ὅταν ἐν τῷ πρώτῳ καὶ δευτέρῳ τῆς περιόδου τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρησώμεθα, τὰ ἐν ἀρχῇ ἐν τέλει τεθέντα ἐπὶ ταύτης ἀπολίπωμεν.

---

*) E coniectura Jac. Simon, qui delevit „rei familiaris."

**) Kayseri errorem p. 296, ab Aquila Romano hanc figuram esse nominatam ἀναδίπλωσιν, iam Haase in indic. lect. aestiv. Vratisl. 1856 p. 10 refutavit.

Poet. anon. v. 16; Charis. V, 7, 15; Pseudo-Jul. Rufin. p. 50, 30 *μετάθεσιν* dicit; Isidor. p. 519, 3; Rutil. Lup. I, 6; de quo cf. indicem Haasii, quem modo laudavi.*)

Iam Quintilianus (§ 90) verborum quoque figuras posse plures reperiri a quibusdam fatetur, sed iis, quae ab auctoribus claris traduntur, meliores, non assentitur; itaque eius quidem sententia nihil amplius addendum est, sed nos, qui omnes, quae sunt apud auctores veteres, figuras tractandas nobis proposuimus, reliquas quoque colligamus et in ordinem quendam, quoad eius fieri poterit, redigamus oportet, quamquam nos quoque alias figuris attribuemus, alias omnino abiiciemus.

Atque quae praeterea per adiectionem fiunt schemata, sunt haec:

29. *προςδιασάφησις*

Alex. Numen. VIII, p. 467: *ὅταν ἐν ὄνομα ἐπενεχθῇ πεπληρωμένῳ λόγῳ, προςδιασαφοῦν πλέον τι, ὡς ἔχει τὸ Ὁμηρικόν·* (Il. 1, 24.)

ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ·

τὸ γὰρ θυμῷ ἐπηνέχθη πλήρει τῷ λόγῳ προςδιασαφοῦν, ὅτι ψυχή ἐστιν, περὶ ἣν τὸ τοῦ ἀρέσκειν πάθος γίνεται· καὶ εἴ τις ἐν πολλῷ λόγῳ λέγοι· ταῦτα ἐννοήσας τῇ ψυχῇ. Zon. p. 683. Quintil. IX, 3, 46: Id, ut alio quoque loco (VIII, 3, 53) dixi, quum supervacua oneratur adiectione, vitium est; quum auget aut manifestat sententiam, sicut hic (Virgil. Aen. XII, 638: Vidi oculos ante ipse meos), virtus. Vidi, ipse, ante oculos, totidem sunt affectus.

30. *περίφρασις*,

Alex. Numen. p. 468 sine definitione posita modo ex exemplis cognoscitur: *μένος Ἀλκινόοιο* pro *Ἀλκίνοος;* Phoebamm. p. 500; Tiber. p. 564. Cornific. IV, 32, 43: circuitio est oratio rem simplicem adsumpta circumscribens elocutione, hoc pacto: Scipionis providentia Carthaginis opes fregit. Ciceronis de Orat. III, 54, 207 est circumscriptio; cf. Piderit ad h. l.; unde autem alterum nomen *περιγραφῆς* sumpserit, mihi non liquet; cf. Ernesti lex. s. h. v. Plerisque est tropus, ut Quintiliano VIII, 6, 59; nam figura non est, IX, 3, 91: sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia sive finitio. Rutilium quoque hoc schema *λέξεως* putavisse ex hoc loco cognosci potest. Trypho. VIII, p. 742; Gregor. Corinth. p. 771; Cocondr. p. 791; Georg. Choerob. p. 812.

31. *ἀντεναντίωσις*,

Alex. Numen. p. 481; similis figurae antecedenti, *ἔστιν, ὅταν τὸ ἐναντίον ὄνομά τινος τιθέντες αὐτὸ ἐκεῖνο σημαίνωμεν· (οὐκ ἐλάχιστα* pro *τὰ μέγιστα).* Poet. anon. v. 163; Zon.

*) Hoc loco corrigendus est error calami Halmii in annotatione; dicit enim: nomen figurae nos addidimus; scribendum erat: Haase addidit, quem errorem non unicum se aegre ferre Vir. ill. nunc beatus ipse mihi quondam professus est.

p. 689. Vulgo a nobis dicitur *λιτότης*, quod nomen apud eos rhetores, quibuscum mihi hic res est, non invenitur. Modo Servius ad Virgil. Georg. I, 125 interpretatur: Dicitur *λιτότης* figurae genus, qua res magna modestiae causa extenuatur verbis.

32. *ἐπίφρασις*,

Phoeb. p. 500; figura, cuius nomen ne in Stephani quidem thesauro invenitur, plane nulla esse potest; duobus fieri modis dicitur; *προτασσομένου γὰρ τοῦ ὀνόματος κατ' ἐξοχὴν λέγεται, ὡς ἵνα εἴπω· ὁ δεῖνα ὁ σχολαστικὸς ἦλθε καὶ ὅλος ὁ φόρος.* Potest autem etiam *τὸ ὄνομα κατ' ἐξοχὴν ὑποτάσσεσθαι*, et item manet *ἐπίφρασις*. Quid hoc loco *φόρος* significet, me ignorare libenter confiteor; nam vectigalia esse non posse manifestum est; equidem de turba comitanti cogitavi, vel de apparatu, sine quo *σχολαστικὸς* nunquam conspicitur, itaque haec figura esset *ζεῦγμα*, in quo verbum medium ponitur et subiectum maioris momenti aut antecedit aut sequitur.

33. *ἐπεξήγησις*,

Phoeb. p. 501 *ἔστιν ἀσαφοῦς λέξεως ἢ λόγου σαφηνισμός.* Figura esse non potest; nam aut verbum minus usitatum aut ex aliena lingua depromptum interpretamur, sicut acinacem esse gladium Persicum, aut, quum aliquid statuimus, causam, cur hoc ita sit, addimus. Genus prius est definitio, alterum figura elocutionis potest esse, sed potius nulla est.

34. *ἐπίτασις*,

Phoeb. p. 501 *ἐπιμονῆς μὲν εἶδος, οὐκ ἐπίσης δὲ δηλοῦν τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἐξαλλαγὴν ἔχον ἐπὶ τὸ μεῖζον, ὡς ἵνα εἴπω περὶ εὐσωματοῦντος διαλεγόμενος καὶ μεγάλου, ὅτι κίων ἐστὶ τῷ μεγέθει, ὅτι ὄρος ἐστίν*, nihil aliud est nisi *ὑπερβολή*, quae inter tropos habetur. Auctor non videtur intellexisse Longini *περὶ ὕψους* verba c. 38 (I, p. 289 ed. Spengel), vel alius cuiusdam auctoris: *αἱ δ' ὑπερβολαὶ καθάπερ ἐπὶ τὸ μεῖζον, οὕτως καὶ ἐπὶ τοὔλαττον, ἐπειδὴ κοινὸν ἀμφοῖν ἡ ἐπίτασις*, i. e. intentio oratoria, quae fit affectuum usu, et cuiusdam vigoris et spiritus. Ernesti lex. s. h. v.

Quae fiunt per detractionem figurae, iis adnumerantur a Cornificio IV, 27, 37 et IV, 30, 41; et aliis complura genera *ἀποσιωπήσεως*, sed plurimi hanc figuram esse sensus contendunt, itaque nos quoque de ea in altera parte agemus.

Tertio generi Quintiliani ascribi possunt:

35. *ἀπορία*,

dubitatio. Quintil. IX, 3, 88; cum est in verbo: Sive me malitiam sive stultitiam dicere oportet; nam cum est in re, priori parti (i. e. figuris sententiarum) assignanda est. Item Cicero de Orat. III, 53, 203 et 54, 207 in utroque genere posuit, in Oratoris vero

c. 39, 137 modo in schematis sententiae collocavit. Cornific. IV, 29, 40: „quum quaerere videtur orator, utrum de duobus potius aut quid de pluribus potissimum dicat.“ Reliquis est ἀπορία vel διαπόρησις figura sententiae, neque aliter accipi potest Rutilii ἀπορία II, 10, quamquam ipse verbi esse eam voluit. Cf. Quintil. IX, 3, 99.

36. μετάνοια

Rutil. Lup. I, 16; „fieri solet, quum ipse se, qui loquitur, reprehendit, et id, quod prius dixit, posteriori sententia commutat; Cornif. IV, 26, 35: correctio est, quae tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit. Et verbi et elocutionis figura esse potest; Quintil. IX, 3, 89 et 2, 60: quasi poenitentia dicti; Cicero de Orat. III, 53, 203 et 54, 207 item utrique generi adscribit; Orat. 39, 135 modo est verborum; porro est verbi Alex. Numen. VIII, p. 486 ἐπιτίμησις vel ὑπαλλαγή; Poet. anon. v. 151; Jul. Rufin. p. 52, 8 ἐπανόρθωσις; apud Tiberium p. 535 ἐπιδιόρθωσις, pro qua voce fortasse ἐπανόρθωσις scribendum est, est sententiae.

Figurae, quae per situm, vel ut Quintilianus IX, 3, 27 dicit, per ordinem fiunt, sunt hae:

37. ἄφοδος.

Quintil. IX, 3, 87: Longius evectus sum, sed redeo ad propositum. Rutilii II, 1 est alterum genus μεταβάσεως, „quum ab alia re ad id, quod demonstrare instituimus, orationem atque actionem nostram revocamus. Poet. anon. v. 88.

38. προςαπόδοσις.

Rutil. Lup. I, 1: „Hoc schema duobus modis fieri et tractari potest. Nam sententiis duabus aut pluribus propositis sua cuique ratio vel posterius reddetur vel statim sub unaquaque sententia subiungetur. Quo haec figura differat ab αἰτιολογίᾳ, II, 19 non plane liquet, atque definitio figurae sensus, αἰτιολογίας apud Alexandrum VIII, p. 439 cum Rutilio consentit: ὅταν προθέντες τι πρὸς τὸ γενέσθαι σαφέστερον αὐτὸ τὴν αἰτίαν προσαποδιδῶμεν. Cf. Zon. p. 675; Anon. p. 700; Poet. anon. v. 25 et 112. Fortasse Ciceronis de Orat. III, 54, 207: „ad propositum subiecta ratio,“ et alterum genus „in distributis supposita ratio.“ Cf. Quintil. locum minime sanum IX, 3, 93. 94.

Huic contraria est Phoebammonis p. 502

39. πρόληψις αἰτίας,

quum primo loco causam, deinde sententiam ponimus. Hanc figuram praeter eum nemo habet; ceteris enim est figura, quum id, quod obiici potest, praeoccupamus, atque figura sententiae habetur; modo Cornificius IV, 23, 33 subiectionem paulo aliter definiens

verborum adnumerat: quum interrogamus adversarios aut quaerimus ipsi a nobis, quid ab illis aut quid contra nos dici possit, deinde subiicimus id, quod oportet dici aut non oportet. quod aut nobis adiumento futurum sit aut illis offuturum e contrario.

40. προσυναπάντησις (χιασμός),

Alex. Numen. p. 485 non satis accurate ab Ernestio s. h. v. definita: ὅταν δύο ἐξενεγκὼν ὀνόματα πρὸς τὸ τελευταῖον πρότερον τὴν ὑπάντησιν ποιήσηται, ὡς καὶ τὸ Ὁμηρικόν· (Il. 450)

ἔνθ' ἅμα οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν
ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων.

τὸ γὰρ „ὀλλύντων" τῷ „εὐχωλή" (sic enim scribendum iam Normannus recte statuit) προσαποδέδοται. Nunc plerumque dicitur χιασμός, qua voce primus usus est hoc sensu Hermogenes III. p. 157, quando quatuor propositis, tertium secundo respondet, quartum primo. Hermogenes περίοδον χιαζομένην opponit ἀναστρεφομένῃ, in qua primo tertium, altero quartum respondet, quae nunc ἀναφορὰ dicitur. Cf. Maxim. Planud. V, p. 426; Anon. schol. VII, p. 815. Figuram nomen duxisse a forma literae χ notum est.

Sunt etiam, qui

41. παρένθεσιν

vel παρεμβολὴν vel παρένθεσιν figuram verborum statuant, in quo numero non est Quintilianus IX, 3, 23, cui potius schema grammaticum videtur, quod Romani interpositionem vel interclusionem dicunt, dum**) continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. Rutil. Lup. 1, 17; Jul. Rufin. p. 51, 1: παρένθεσις, quae Latine dicitur interruptio vel interiectio; Poet. anon. v. 118; Beda p. 614, 18 tropis addidit; Alex. Numen. p. 483 παρεμβολή et Caecil. apud Tiber. p. 577.

Ex figuris, quae a nonnullis tribuuntur grammaticis, quae fiunt per mutationem quandam, (σχήματα τῆς ἐναλλαγῆς dicit Phoebammo p. 503), verborum accensuerim:

42. ἀποστροφήν,

cuius „perfecta definitio (Gerh. Vossio lib. V, 7, 3; p. 364 auctore) fuerit, si dicamus ἀποστροφὴν quum sermonem ad aliam personam vel quasi personam avertimus, quam instituta oratio requirat." Similis est eius figurae sententiarum, quae a Quintiliano IX, 2, 38 commemoratur: Aversus a iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή (IX, 3, 24) sed non sensum mutat, verum formam eloqnendi: (Virg. Georg. II, 169)

Decios, Marios magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar.

Fortasse Rutilii Lupi II, 1 partem priorem: „Unum genus (μεταβάσεως) est [eius modi]*), quum ab ea sententia, quam proposuimus, convertimus ad aliquam personam aut

*) Uncis inclusi praecedente J. Simone in Philol. XXVII, tom. IV.

**) cum scribendum esse suspicatur Meister.

rem et tamquam praesentem appellamus" respiciens addidit: „Ii, qui tam parva momenta nominibus discreverunt, *μετάβασιν* vocant. Phoeb. p. 504: *προσώπου ἐστὶν μετάβασις λόγου πρὸς πρόσωπον, ᾧ πρότερον οὐ διαλεγόμεθα.* Hermog. III, p. 241; Aquil. Rom. p. 25, 3; Jul. Rufin. p. 54, 20 conversio; Mart. Cap. p. 478, 4. Figura sententiae paulo alio sensu *(ὅταν πρόσωπον ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου αἰτιώμεθα)* Alex. Numen. p. 453; Phoeb. p. 513; cuius definitionem et exemplum, quod neminem eorum, qui nobis ludi magistris praefecti sunt, secuturum esse putaverim, apponam: *ἀποστροφὴ δέ ἐστι μετάθεσις λόγου πρὸς ἄλλο πρόςωπον, ὡς ἵνα θέλων ἐπιτιμῆσαι μαθηταῖς τισιν ἀκοσμοῦσιν ἐκείνοις μὲν μηδὲν εἴπω, τῷ δὲ διδασκάλῳ διαλεχθῶ, λέγων ἀκουόντων αὐτῶν, ὅτι σπουδάζουσιν οἱ σοὶ ἑταῖροι τῇ ἀταξίᾳ ταύτῃ καταλῦσαι τὴν δόξαν σου.* Tiber. p. 534; Herodian. p. 597. Quid Zonaeus dici voluerit, fortasse ipse ignoravit.

43. *ὑπέρβατον*

quoque, ubi nihil ex significatione mutatum est et structura sola variatur, figura potius verborum quam tropus dici potest, sicut multi existimaverunt. Quintil. VIII, 6, 67. Verbi transgressio VIII, 6, 62, (vel verborum concinna transgressio IX, 3, 91) dicitur, si non ad necessitatem ordinis sui verba redigantur neque ut quodque oritur, ita proximis, etiamsi vinciri non potest, alligetur; neque enim aliud potest sermonem facere numerosum quam opportuna ordinis mutatio. Quum in duobus verbis fit, *ἀναστροφὴ* dicitur, reversio quaedam (mecum, secum, quam potius figuris grammaticis attribuerim), at quum decoris gratia trahitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen, i. e. quum verba non seiungenda aliis interpositis separantur. Exemplum addidit Quintilianus: „Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes." Nam „in duas partes divisam esse" rectum erat, sed durum et incomptum. Quae deinde sequitur poetarum transgressio, facta verborum divisione, *τμῆσις* est et figuris grammaticis adiudicanda. Cornif. IV, 32, 44. Alii longius progressi sunt, ita ut etiam *ὑπέρβατον* sit, quum *παρένθεσις* longior interponitur, ut fecit Alex. Numen. VIII, p. 483 et Tiber. p. 561. Sed ii quoque *ἀναστροφὴν* alterum genus *ὑπερβάτου* statuunt; Hermogenes III, p. 287 duo genera habet, *κατὰ παρένθεσιν καὶ καθ' ὑπέρθεσιν,* quae fit transmutata verborum collocatione. Sed exempla apposita consideranti optimum videbitur *ὑπέρβατον* figuris grammaticis attribuere, quamquam Trypho, Gregorius Corinthius, Cocondrius, Georgius Choeroboscus tropis adnumerant. Beda quoque de tropis p. 614, 9 eius mentionem facit, quinque species esse docens: *ὑστερολογίαν* vel *ὕστερον πρότερον, ἀναστροφήν, παρένθεσιν, τμῆσιν,* quae omnia e grammatica sunt nota, et *σύγχυσιν,* hyperbaton ex omni parte confusum.

Sed haec hactenus. Proxima parte in animo est figuras sententiarum et grammaticas et tropos tractare.
